31

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA

DE

MVMIIS IN PRAXI MEDICA NON FACILE ADHIBENDIS,

QVAM

D. O. M. A.

CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

IN ACADEMIA IVLIA

PRAESES

ANTONIVS MOMBER M. D.

ET PHYSIC. REG. LOTHAR. ORD.

IN IVLEO MAIORI

AD D. NOVEMBR. MDCCXXXV.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

RESPONDENTE

IOHANNE ADOLPHO GLADBACH

MOENO-FRANCOFVRTENSI.

HELMSTADII,

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,

ACAD. TYPOGR.



PROOEMIVM.



Vm diu multumque deliberarem de Themate, quod publice ventilandum in me susciperem; tandem prae ceteris Mumia mihi digna visa est, in cuius vires & usum medicum inquirerem. Diligentia quidem summorum, in arte Medica Virorum, hodie fere omnia, ad forum Medicum spectantia, adeo exhausit, ut nil fere intactum reliquisse videatur: supersunt tamen adhuc nonnulla argumenta, in quibus deducendis si quis operam suam collocare velit, is meo quidem iudicio non male illam impendisse censendus sit. Tristis sane antiquissimis temporibus artis salutaris fuit facies, tametsi divinus Hippocrates & Galenus tanquam Principes & Autores huius studii laude sua minime sint defraudandi. Laetior vero & multo pulchrior nostra aetate apparuit, postquam multa, imo plurima inventa sunt, quae antea Me-

dicis fuere ignota. Quis enim adeo rerum omnium est ignarus, ut nesciat, quam insignia hodie studium anatomicum ceperit incrementa? quis inficias ibit, nobilissimam illam Medicinae partem, quae Chirurgia dicitur, adeo hodie excultam esse, ut summum fere perfectionis suae gradum attigerit? quis non miratur egregios illos progressus, quos aliqui Medicorum recentiori aetate in studio botanico & pharmaceutico fecerunt, & adhuc dum faciunt: id satis declarat programma, quod ante aliquot tempus Celeberrimus noster HEISTERVS in lucem edidit (a). Quis denique ignorat, quam multiplicia varii generis instrumenta ad operationes Chirurgicas feliciter instituendas hodie excogitata sint, de quibus omnis silet antiquitas? Quae si secundum ordinem omnia commemorare vellem, nihil quidem committerem, quod a praesenti proposito nimis alienum foret, sed cum brevitati studeam, hoc tantum dico: etsi hodie studium Medicum tanta ceperit incrementa, ut ad summum fere fastigium suum pervenisse videatur, semper tamen adhuc posteris aliquid superfuturum, in quo vires ingenii sui exercere possint. Atque haec etiam praecipua causa est, quae me induxit, ut breuem hanc dissertationem, *de Mumiis in praxi Medica non facile vel caute adhibendis* conscribere constituerim. Tu vero supremum & praepotens Numen annue coeptis, & benigne concede, ut labor hic in altissimi Nominis Tui gloriam & proximi salutem, cedat feliciter!

DIS-

(a) vid. ejus programma: de studio rei Herbariae emendando.

DISSERTATIO DE MVMIIS IN PRAXI MEDICA NON FACILE ADHIBENDIS.

§. I.

QVum in omni re, de qua agitur, valde utilis, imo ſaepe neceſſaria ſit vocabulorum, quibus res deſignatur, explicatio: priusquam in materia propoſita longius progrediamur, definiendum eſt, quid per *Mumiam* intelligatur. GABRIEL CLAVDERVS, non incelebris Medicus, mumias ita deſcribit: *Corpora* inquit (b) *haec mumiſata aliter aeſtimare non valeo, quam pro thecis & capſulis mixturarum balſamicarum egregiarum, in locis ſuis natalibus curioſe compoſitarum, transportatoriis.* Quae deſcriptio haud obſcure innuit, virum hunc celebrem ex illorum Medicorum numero eſſe, apud quos Mumiae in aliquo ſunt pretio. Nos vero de iis ſequentem dabimus definitionem: *Mumia exoticum eſt, multis conſtans particulis balſamicis, Cadaveri humano certa encheireſi atque arte, in omnibus partibus, tam externis quam internis, ex aloë, Myrrha, Croco, aliisque gummatibus iniectum.*

§. II.

Arabes, Graeci, Latini, Germani, atque Galli ad unum fere omnes in eo conſentiunt, quod Mumia ex viribus ſuccoque humano per fermentationem generetur, atque hoc modo exiſtere incipiat. Quo pacto vero poſt obitum hominis vires eius in corpore mortuo ſupereſſe poſſint, & ſubſequente iniectione balſamica adeo augeri, ut exinde praeclarum atque excellens quoddam medicamentum progigna-

(b) In Methodo Balſamandi.

gignatur, hoc eiusmodi eſt, quod plane nos non concipere poſſe, ingenue fatemur.

§. III.

Non negamus quidem, quod ex ſingulari permixtione gummatum v. g. Aloës, myrrhae, aliorumque egregium & non vulgare medicamentum poſſit confici: an vero ad eius perfectionem aut excellentiam humana cadavera aliquid conferant, vel neceſſaria ſint, de eo valde ambigimus. Neque deeſt nobis, cur de hoc dubitemus, grauis cauſa. Finge enim hominem, cuius cadaver ad mumiam conficiendam eligitur, morbo foetidiſſimo ac ſpurciſſimo laboraſſe, qualis eſt lues Venerea, peſtis, lepra, febris petechialis, & id genus alii, quid putas: num vero ſimile eſt, tam impuram ſubſtantiam ſola iſta iniectione aromatum, ſeu balſamatione adeo immutatum iri, ut omnem ſuam malignitatem amittat, & e veneno nocentiſſimo fiat ſaluberrima medicina? nobis perfecto ſecus videtur. Quandoquidem enim per balſamationem iſtam pori cadaveris non tam aperiuntur, quam potius obſtruuntur, adeo ut non tantum omnes humores penitus exſiccentur, ſed etiam omnes artus, venae, nervi, muſculi, & aliae corporis partes tam arcte invicem conglutinentur, ut omnia in maſſam duriſſimam evadant, a vero certe non abhorret, malignitatem una ſimul condenſari, & vires eius peſtiferas, ut ita dicam, quaſi concentrari, quae antea, cum homo adhuc in vivis eſſet, per tranſpirationem multum de virulentia ſua amittebant.

§. IV.

Non abs re vero hic fuerit, ſi hoc loco etiam pauca de ritu, mortuos ſepeliendi apud veteres Aegyptios uſitato, nec non de ipſo balſamationis actu in medium proferamus.

ramus. Si DIODORO SICVLO (c) solertissimo antiquissimarum rerum indagatori, fides habenda, varii generis apud Aegyptios fuere, qui curam mortuorum sepeliendorum sustinebant; siquidem modo *Libitinarii*, modo *Scribae*, modo *Paraschistae*, modo *Taricheutae* a laudato scriptore hoc commemorantur. Quilibet vero ex his funerum curatoribus suum peculiare habebat officium in parandis exsequiis. Libitinarii funus curabant dum cuiusque rei, in funus impendendae, consignatione, mortuorum domesticis oblata, quomodo exsequias celebrari vellent, sciscitabantur. Vbi de omnibus inter ipsos convenerat, acceptum cadaver ministris, ad usitatum hoc munus constitutis, tradebant; utpote, cum apud Romanos illi ipsi Libitinarii, qui efferenda corpora conducebant, & praebebant funeribus necessaria in Templo Libitinae asseruari & vendi solita, prope illud habitarent, eiusque Deae rationibus praeessent iuxta ACRONEM (d) & PLVTARCHVM (e) atque TRANQVILLVM SVETONIVM (f) Nam & VALERIVS MAXIMVS (g) hos, qui Libitinam exercebant, alias nulli rei, quam quaestui vivebant, quaestum tamen, aucta inde magis a sua conditione, quam extenuata laude, contemsisse praedicat. Inter omnes in eo conveniunt Autores, quod Libitinariorum exercitium honestius fuerit, quam pollinctorum, cum illi ceu heri domi suae hos servos haberent, quorum opera ad pollingenda h. e. abluenda, ungenda, & consuenda cadavera uterentur. (h) Primus horum, quem *Scribam* vocabant, germanice diceres: *ein Zeichner*, deposito humi corpore, circum ilia fini-

(c) In bibliothec. historica lib. I. (d) ad Horat. lib. II. Sat. 6.
(e) in problem. (f) in Nerone. (g) lib. V. Cap. 2.
(h) vid. hac de re dissert. Andreae Rivini de pollinctura vulgo dicta Balsamatione, quae mihi a Viro praeclarissimo M. Bütemeistero communicata.

ſiniſtrum latus, quantum inde reſecandum eſſet, circumſcribebat. Tum *Parachiſtes* (inciſor) lapidem tenens Aethiopicum, ubi carnis, quantum lex iubebat, diſſecuiſſet, extemplo, quanto poterat curſu, aufugiebat, perſequentibus eum, quotquot aderant cum lapidum iactu & exſecrationibus, qui illum, qui eiusdem naturae corpori vim vel vulnus inferebant piaculum commiſiſſe ideoque odio dignum eſſe, ſibi perſuadebant. *Taricheutae* vero cadavera tantum condiebant, unde non inepte Germanice *Salb-Meiſter* dici poſſunt. Hi enim honore atque cultu afficiebantur. Nam ſacerdotibus familiares erant, & in ſacrarium, ut qui ſacri eſſent, libere ingrediebantur.

§. V.

Modum vero cadavera condiendi HERODOTVS ſcriptor fide digniſſimus, ita deſcribit: *Ante omnia*, inquit, (i) *incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum eius medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Aethiopico circa ilia conſcindunt: atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt, ac vino palmeo (in aliis etiam legitur vino phoenicio) eluerunt, rurſus odoribus contuſis refarciunt: tum omenta complent contuſa myrrha pura, & Caſſia & aliis (excepto thure) odoribus iterum conſuunt. Vbi haec fecere, ſaliunt in nitro abditum LXX. dies, nam diutius ſalire non licet. Exactis LXX. diebus cadaver ubi abluerunt, ſindone byſſina totum inciſis loris involvunt, gummi illinentes, quo Aegyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita reponunt.* Haec Herodotus.

§. VI.

(i) lib. II. Hiſtoriar. p. m. 118. ſeqq. edit. Francof. 1595. in 8.

§. VI.

Antequam ad ritum ſepeliendi nos porro conferamus, quaeſtio erit formanda, an ſolummodo veteres Aegyptii ad omnes balſamationes Aloen, myrrham, & caſſiam uſitavere? verum enim vero Autores de hac re inter ſe non conveniunt. Hoc quidem nemo Medicorum negabit, Myrrham & Aloën multum ad conſervationem cadaveris prodeſſe, ideoque haec gummata ab Aegyptiis ad hunc actum ſine dubio adhibita fuiſſe exiſtimo. Nemo tamen veram atque exactam deſcriptionem compoſitionis in medium proferre poteſt, quia nil Aegyptii reliquerunt de iſta re in ſcriptis ſuis. ALEX. AB ALEX. (k) dicit: *Condiebant enim Cadavera myrrha, aloë, cedro, melle, ſale, cera, bitumine, & reſina, odoribus & unguentis delibuta.* Hic autor citatus iam addit, mel, ceram & bitumen & reſinam, de quibus Herodotus nullam mentionem fecit. Si porro adhuc alios Autores examinamus, videbimus, quantum inter ſe Autores diſſentiant. Alius Autor (l) exanime corpus hominis per annos plurimos in melle tantum modo ſervari ſcripſit, & coërcere vitia nec ſerpere ea patitur: verum mellis quidem ipſius natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, iucundo ſapore atque non aſpero, alia quam ſalis natura. Celebris BLANCARDVS (m) etiam nobis duas vias balſamandi praeſcribit, quando dicit: *Solche* Conſervation *oder bewahrung der todten Cörper kan auff zweyerley Weiſe geſchehen, 1) vermittelſt einem* liquore *und* 2) *denn auch durch eine truckene Balſamirung*: zur naſſen Balſamirung *lehret er, man ſoll eine gar ſtarcke Lauge machen, von Meerſaltz und Alaun ana, in dieſen* liquorem *ſoll man den Cörper legen, uud ſolchen eine lange*

(k) lib. III dier. genial. cap. 2.

(l) Columella lib. XII. cap. 45.

(m) in Tractat. de balſamat. pag. 4. §. 2.

Zeit conſerviren, *oder er rathet, daſs man ſelbigen in Terpentin Oehl leget.* Secunda via *iſt der trockene* modus, *da man erſtens den Cörper mit* Spiritu Vini *braff abwäſcht, beſtreichet anfangs auch alle theile wohl mit ol.* therebinthinae, *nimmt nachgehends die* Viscera abdominis *heraus füllet ſolche mit allerley* Species *an.* Haec ſunt, quae Blancardus docet. An vero autor citatus hanc methodum ab Aegyptiis didicerit, an ſuum ſit inuentum, hic locus non erit disquirendi, ſed potius Aegyptiorum methodum balſamandi, quantum nobis autores de hac re reliquerunt conſiderabimus.

§. VII.

Exentratis hunc in modum cadaveribus, ſaepe etiam certae imagines aereae, variis characteribus hieroglyphicis inſignitae, iniiciebantur. Illuſtre huius rei exemplum habemus in Mumia illa Gothana, quae hodie adhuc in pharmacopolio Gothano aſſervatur, & huiusmodi monſtroſis figuris pleniſſima eſt (n). Qua de re cum nemo fere accuratius copioſiusque expoſuerit, quam celebris ille Patricius Norimbergenſis CHRISTOPH FVRER AB HAIMENSDORFF, (o) digna ſunt profecto eius verba, quae tota hic apponantur: *Wir ritten auf Eſeln durch alt* Cairo *hinaus, und fuhren über den* Nilum, *alda ein groſſes Dorff lieget, von welchem wir uns bey 20. Meilwegs an dem* Nilo *hinauff nahe zu der alten und gewaltigen Stadt* Memphis *begeben, und kamen in ein Dorff, allda noch viele* Pyramides *ſtehen auf einer unfruchtbahren und ſandigten Höhe, und ſehr groſſen Weite, da denn weder Laub noch Graſs wächſet. Und hier iſt es voll alter Begräbnüſſen, welche unter der Erden alle ausgewölbet und gemauret, und ſich*

(n) vid. hac de re CHRISTIANI HERTZOGII Mumiographiam medicam, quae Gothae 1716. in 8vo prodiit.

(o) in itinerario ſuo in Palaeſtinam Norib. 1646. in 4to pag. 55. ſeq.

ſich weiter denn 20. Meilen in die Länge auch etliche Meil in die Breite erſtrecken. Wir baten die Araber *, ſo daſelbſt wohnen, daſs ſie uns etliche derſelben Gräber wolten eröfnen, und die todten Cörper (welche ſie, wie auch ſelbigen gantzen Ort,* Mumien *hieſſen) ſehen laſſen. Wir muſten ihnen aber zuforderſt ein Geſchencke geben; alsdenn führten ſie uns hinaus zu einem Ort oder Grab, ſo neulich war auffgemacht worden, da denn zum Eingang deſſen, ſowohl als der andern Gräber ſelbiges Ortes, ein viereckigt Loch, wie ein Brunnen, eines reiſſe Spieſſes tieff in die Erde hinab gemauret, welches nur ſo vveit, daſs man hineinſteigen, und mit den Füſſen von einem Ort zum andern reichen und hafften kan, dieſes Loch muſte man erſt auffgraben, und zu dem Grab raumen: Denn es nicht vveniger als die andern, alle durch den Wind mit Sand angefüllet, und beſchüttet vvorden; zu unterſt hat es ein klein Loch auff einer Seiten, durch vvelches, nachdem man gleichvvohl nicht ohne Beſchwerde hinein gekrochen, kommt man in ein niedrigs Gewölblein, ſo allenthalben voll todten Cörper oder* Mumien*, auff vvelchen man muſs hinein, und kan alsdann, ſo man vvill, immerfort durch dergleichen enge Schlupff-Löcher in mehr andere Gewölblein und Begräbnüſſe, als in einem Irrgarten herum kriechen, zu vvelchem Ende uns etliche der Araber, ſo vvir mit uns hatten, und dieſer Gænge kundig vvaren, mit Lichtern vorgekrochen, und den Weg gewieſen. Daſelbſt thäten vvir etliche* Mumien *auff, vvelche gantz vvohl und fleiſſig in vveiſſes Tuch oder zarte Leinwand eingemacht, und darnach mit ſchmahlen zarten vveiſſen Bändlein, vvelche ſehr lang, durch und durch auff das aller fleiſſigſte, und vvie man die Kinder einwickelt, umwunden, und ihnen die Hænde, die zwar Creutzweiſe übereinander (vvie man denen Chriſten pflegt) doch gegen dem Haupt zu geleget vvaren. Die Cörper ſind alle, ohne Zweiffel, daſs ſie deſto længer ohne*

Verfaulung erhalten vverden mœchten, biſs auff die Leber und Hertz ausgenommen, und hernach auffs kœſtlichſte balſamiret, und mit Gewürtzen ausgefüllet vvorden, vvelches auch die Urſach, daſs die Mumien *oder todte Leiber, vvenn man ſchon nahe dabey, gantz nicht übel riechen, vielweniger bald verzehret vvorden, ob ſie ſchon lange Iahre dagelegen, daſs ſie gantz ſchwartz, und das fleiſch dem Anſehen nach zu einem Pech vvorden. Wie man denn dafür hält, daſs ſie zum theil ſchon zu denen Zeiten der* Pharaonum *oder alten Aegyptiſchen Kœnigen alda begraben ſeynd, derowegen ſolche Græber zur alten Stadt* Memphis *und denen* pyramidibus *oder Wunderſæulen gehœren ſollen. Innerhalb dieſer Cœrper findet man gemeiniglich ſeltzame Sachen, von Holtz, Stein, Ertz, und andern* Metallen, *darinnen allerhand geſtalten von Vœgeln, Thieren, Menſchen, beyderley Geſchlechtes, vvelche vvie* hiereglyphiſche Figuren *und* Characteres *bezeichnet ſind, abgebildet; So ſind derer auch nicht vvenig mit dick geleimten Papier überzogen, vvorauff vvunderliche Bilder, theils in Menſchen Geſtalt, theils mit Wolff- oder Affen-Kœpffen geformet, etwa auch auff denſelben ihre Thaten, oder ſonſt die Arbeit ihrer alten* exequien, proceſſionen, *oder Leich-Begængnüſſen, und vvie man die Todten beſchickt, vvæſcht,* balſamiret, *begræbt, entworffen, und mit ſolchen der gantze Leib vollgemahlet. Damit nun auch unſre geſellen, vvelche nicht konten hinab in die Græber und Gewœlbe kommen, ſolche* Mumien *gleichfalls ſehen mœchten, haben vvir einen dieſer Cœrper hinauff ziehen laſſen, erœffnet, und die inwendige Beſchaffenheit nochmahlen vvohl in acht genommen.* Qua ex relatione clare videmus, inſignem plane & varii generis fuiſſe apparatum, quem Aegyptii in cadaueribus humanis a putredine vindicandis adhibuerunt. Vnde nec immerito quaeſtio hic moveri poteſt, utrum tantum ſuperſtitione quadam, veluti noſtro quoque tempore non nunquam reliquiae & imagines

gines ſanctorum quibusdam in locis monumentis conduntur, iſtae imagines aereae & figurae hieroglyphicae cadaveribus inſutae fuerint, an vero id ex peculiari quadam ratione factum ſit? verum enim vero, quemadmodum veteres Aegyptii prae multis aliis populis ſapientiae laude fuerunt conſpicui: ita valde quoque eſt veroſimile, quod illis, cur hoc fecerint, ſua peculiaris conſtiterit ratio. Si coniecturis aliquis locus concedendus, forte haec conſuetudo apud illos inde originem ſuam traxit, quia ſine dubio ex quotidiano commercio cum Ebraeis, tum in ſervitute inter illos degentibus, de futura aliquando mortuorum reſurrectione aliquid inaudiverunt, cumque experientia edocti eſſent,aes non tantum ſe ipſum a putredine & aerugine quam diutiſſime conſervare, ſed etiam adverſus putrescentiam peculiarem quandam vim habere, inprimis aereas icunculas cadaveribus inſeruerunt, ut non tantum eo diuitius a putredine conſervarentur, ſed etiam, ſi quando reſurrectio contingeret, haec eo facilius citiusque, prout ſibi imaginabantur, corporibus adhuc integris, & nondum in cineres redactis, poſſet ſuccedere. Sed ita tantum nobis videtur, ſi quis rectiora docuerit, nil impediet, quo minus in aliam ſententiam deſcendamus.

§. VIII.

Haec vero methodus mortuos ſepeliendi non ſolummodo Aegyptiis, ſed etiam Iudaeis iam nota fuit, quanquam vero illum primum morem Aegyptiorum fuiſſe BENED. PARERIVS pronunciat (p): *Ab iisque Iacob & Ioſeph eſſe aromatibus conditos, eo vero modo neminem legi in ſcriptura Veteris Teſt: Fidelium cultorum Dei fuiſſe conditum & ſepultum, nec ante Iacob & Ioſeph, nec poſt eos, usque ad Aſſa Regem Iudae, quem, traditur, poſt mortem po-*

 ſitum

(p) BENEDICT. PARERII Com. & diſput. in Gen. Tom. 4. p. 1042.

situm esse super lectum suum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quae erant pigmentariorum arte confecta, quaeque super eum ambitione nimia combusta sunt. In N. T. ipsemet Salvator adhuc vivus a Maria Magdalena unctus, & instanti sepulturae praeparatus, ut & ab eadem cognatisque mulierculis aliis die paschali in monumento condiri debuerit, ab his tamen conditus non fuit. Ex hoc colligimus balsamationem non esse illicitam, sicut nonnulli statuerunt, inter quos cumprimis est MINVTIVS FELIX Celebris Romanorum Causidicus (q) qui balsamationem criminibus accenset, quando inquit: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus.* Quod etiam apud Graecos Christianos obtinuit, ut CLEMENS ALEXANDRINVS (r) talis est. Contra eos vero Divi AVGVSTINI disputatio aptari posse videtur. *Nam cum quidam assererent terrena corpora incorruptibilia fieri, & aeterna non posse propterea, quia terrae terra reddenda esset, unde animalium terrestrium sumta forent corpora, ex quo fieret, ut ea necesse esset dissolui & emori, ac eo modo terrae stabili, ac sempiternae, unde sumta fuissent, restitui:* Et alibi: *Quando ipsius carnis, & membrorum omnium reformatio non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sint, quo dilapsa cadavera recesserint, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittatur.* (s) *Nec ideo tamen contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est spiritus, eique placent etiam talia pietatis officia, ut ipse quoque Dominus die tertia resurrecturus religiosae mulieris bonum opus praedicarit, ptaedicandumque commendarit,* quod

(q) In Octavio pag. 8. (r) lib. II. paedag. C. 8.
(s) 1. Cor. XV.

quod unguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Huc usque autor citatus, & ne prolixiores esse videamur, hanc quaestionem dimittimus, ne a scopo nostro aberremus.

§. IX.

Vnum tamen adhuc superest, antequam primarium momentum dissertationis nostrae aggrediamur, usum verum nempe atque finem pollincturae, quae ab Aegyptiis celebrata fuit, consideraturi. Haec triplicem finem habuit, *Physicum*, *Politicum*, & *Theologicum*. *Physicum* quidem antea citatus Autor (t) dicit: Foetor pollinctura a corpore mortuo submoveatur & abigatur, ut id quam diutissime incorruptum & putredinis expers praeservetur. Quem BASILIVS (u) hisce verbis significavit: Ἡ μὲν οὖν σμύρνα, ὅτι ταφῆς ἐστὶ σύμβολον, καὶ εὐαγγελιστῆς ἡμᾶς Ἰωάννης ἐδίδαξεν εἴπων. ὑπὸ Ἰωσὴφ τοῦ Αριμαθαῖου εντε ταφιαθαι μετὰ σμύρνης καὶ ἄλοης. & paulo post. Διὰ ταύτα Αιγύπτιοι ταριχέυουσι τοὺς νέκρους, ἵνα μὴ κέιμενος ὑπὸ ἐυλέων καταστρωθὴ. Ideo Aegyptii condiunt mortuos, ne a vermibus consumi possent. (x)

§. X.

Finis secundus nempe *Politicus* fuit, ut quos vivos ob status sublimitatem magni fecimus, eorum quoque corpora defuncta reverenter habeamus: utque ita condita sint cognatis, ad virtutes ipsorum imitandas monumenta & incitamenta. Sic multi Aegyptii progenitorum corporibus domi magno sumtu conditis, respicientes suorum imagines, viventium magnitudine & habitu a longa progenie ductas, tanquam viventium aspectu animo oblectaban-

(t) Rivin. in dissert. de balsam. quaest. IV.
(u) Basilius M. in ps. p. 106.
(x) Herod. lib. 3. Stobaeus serm. 122.

bantur. (y) Hoc etiam affirmat de Aethiopibus ALEXANDR. (z) ſcribit enim Aethiopes quoque exanima corpora vitro aperto, ita ut integra ſpectentur, & poſteris ſpectaculo ſint, imo totos gypſo obductos & pinctura, quoad poſſibile eſſet, ad effigiem ipſorum repraeſentandam exornatos ita vitro indiderint, ut nihil ingrati odoris aut foeditatis inde manaret, ſed omnia ſibi ſimilia haberent. Hos quotannis paſſim in urbe conſpicandos proponebant.

§. XI.

Tertius vero finis *Theologicus* eſt, ut condituram balſamicam contemplantes, de aeternitate & reſurrectione carnis aliquatenus moneamur, dum corpus, quoad licet, conditura iſta quaſi perennare facimus. TERTVLLIANVS hoc dicit (a) *Ita iſtas peregrinitatis merces non ad pigmenta modo medicinalia, ſed & ad ſolatia ſepulturae uſui eſſe hominibus.* Ita etiam paulo ante ex AVGVSTINO perſpeximus. (b) Nam *Deo etiam*, ait, *talia pietatis officia erga ipſius vaſa & organa exhibita placere.* Cuius rei argumenta in omni antiquitate, & apud fideles quoque non in conchyliis modo & ſacellis ſanctorum, ſed & in cryptis atque Roma ſubterranea, inque Regum & Principum Mauſolaeis paſſim reperimus. Poſſem quidem adhuc prolixius argumentum hocce explicare, ſed tempus ſpatiumque nobis hoc prohibent. Non poſſumus tamen, quin in gratiam curioſi lectoris, hic duas effigies Mumiarum apponamus, quarum alteram ex Bibliotheca Lipſienſi delineatam accepimus, alteram vero celeberrimus HEISTERVS

(y) Ciador. L. 1. c. 8.
(z) Alexandr. ab. Alex. l. 3. c. 2.
(a) de Idololatria c. n.
(b) lib. I. de C. D. C. 13.

RVS inter curiosa sua conservat, eiusque copiam ex singulari erga nos favore nobiscum communicavit. (c)

(c) Inter auctores, qui de mumiis scripserunt primum locum non immerito obtinet OLIGERVS IACOBAEVS in Mus. Regeor. Christiani quinti Dani Regis. Haffniae 1696. in fol. p. 1. non solummodo mentionem de his faciens sed etiam eas optime atque accurate delineans: quando scribit: *Mumia Aegyptiaca pedum quinque longitudine, carboso subtili, & tela varia undique involuta. In fasciis circumiectis figurae quaedam peculiares conspiciuntur & characteres Hieroglyphici, limbi circulares, pectus inprimis vestientes, ex colorum diversorum orbiculis & figuris aliis assuti sunt, auroque hinc inde illiti: Capsa seu repositorium Tab. I. fig. 1. cui inclusa est Mumia gossypio hinc inde tecta, ex ligno concavo oblongo, crasso admodum & coloris subflaui, ac in partes binas diviso, ad similitudinem Mumiae accedit, & parte superiore capitis humani figuram exprimit: inferiore vero, & quidem antica notas & characteres peculiares, vetustate fere exesos. Mumiae tales & Aegyptiis olim imprimis confectae, & funera medicata Plinio appellatae voce persica, pro cadaveribus exsiccatis sumuntur & certa ratione conditis, quae sub structuris pyramidum vel in cryptis aliis subterraneis apud Aegyptios olim condebantur.* De mumiis, praeter alios erudite. ATHANASIVS KIRCHERVS, & in Itinerario suo THEWENATIVS scripserunt. Aequalem fere descriptionem Nicolaus Lemmery Gallus in Dictionaire ou TRAITE universel. des Drogues Simples. pag. 363. de mumiis nobis relinquit quando dicit: *Mumia en françois, Mumie, est un cadavre d' homme ou de femme ou d' enfant, qui a été embaumé & desseché. les premieres Mumies ont été tirées des sepulchres des anciens Egyptiens sous les Pyramides dont on voit encore de beaux restes a quelques lieues du grand Caire: cet embaumement étoit fait auec des baumes, de la resine de cedre, du Bitume de Iudée, de la myrrhe, de l' Aloes & plusieurs autres ingrediens aromatiques capables d' absorber l' humidité des chairs, de boucher les pores, pour empecher l' entrée de l' air & pour resister à la corruption. Nous nous servons aujourd' hui à peu pres des mémes dro-*

§. XII.

Hisce breviter praemissis, proprius nunc ad dissertationis huius primarium momentum accedendum, atque inquirendum, *an ex eiusmodi cadaveribus, tam artificiose & operose aromatibus conditis, medicina quaedam salutaris confici possit?* si aliorum in arte medica Celebrium virorum scripta consulimus, videmus, non omnium hac de re eandem esse sententiam. Quidam vim medicam, quae mumiis

drogues pour embaumer les corps morts; mais soit que leurs drogues fussent meilleures que les notres, soit qu'ils eussent une methode d'embaumer plus par faite que celle que nous avons, soit que leurs sepulchres fussent plus secs, plus empreints de sels ou de bitumes, ou en fin moins, sujets a la corruption que les notres, leurs cadaures embaumez duroient bien plus de tems sans se corrompre que ceux ci qu' on embaume presentement; car si l'on en croit a la tradition l'on voit des Mumies d'Egypte de quatre mille ans, au lieu qu' on a eu peine a conseruer les corps dans les derniers sieelles plus de trois cens an. On trouue quelque fois sur les cotes de la Libye des cadaures humains qui y ayant été poussez par les vagues de la mer, sont penetrez de sable & dessechez, ou pour mieux dire collinez par la chaleur du soleil qui est excessiue en ce pais-la: on en recontre aussi dans les deserts de Zara, ou le sable est si subtil qu' il penetre tout, & où l'on ne trouue point d'eau pour se desalterer. Les voyageurs qui ne suiuent point les carauanes s'y égarent facilement & y perissent par la faim & par la soif, leurs corps s'y dessechent tellement qu'ils ne pesent que le quart de ce qu'ils devroient peser on appelle ces cadaures dessechez Mumies blanches. Il y a en plusieurs pais chauds, comme a Toulouse & ailleurs, certaines caues ou cimetieres dans les quels les corps morts dessechent & se conseruent auec leur poil, sans aucun embaumement, jusqu' a deux cens ans à cause que ces mêmes caues ont serui autre fois à garder de la chaux; car cette chaux a consumé l'humidite du lieu & y a laissé une impression de corpuscules ignez, qui sont capables de desecher le phlegme du cadaure & de chasser l'air grossier: ces corps sont encore une espece de Mumie.

miis ineſſe vulgo ſtatuitur, ad coelum usque ſummis evehunt laudibus: alii vero eam parum habent penſi. Inter illos qui mumias exigui uſus eſſe contendunt, ſi non primum certe nec poſtremum locum meretur Cel. D. LEONHARDVS FVCHS d) qui hac de re ita ſcribit: *Indubitatum eſt, mumiam eas facultates, quas illi tribuunt, hodie minime habere.* Longe vero adhuc abiectius de mumiis iudicat Celeb. CHRISTIANVS IOH. LANGIVS e) qui illas ex pharmacopoliis plane relegandas eſſe cenſet, ideo quia illarum uſus noxius ſit, & varios morbos v. g. καρδιαλγίαν, vomitum, & halitum foetidum producat. E contrario vero illuſtris FRANC. BACO de VERVLAMIO mumiarum vires adeo extollit, ut iis virtutem quandam occultam & ſympatheticam ineſſe ſibi perſuadeat, dum ita ſcribit f) *Mumiae in ſiſtendo ſanguine virtus eſt maxima, quae ut referri poſſit ad mixturam balſamorum, quae glutinoſa ſunt, tamen & occultae indolis qualitas fuerit, in eo quod ſanguis attrahat humanam carnem.* Similia fere ſunt, quae Celebr. LVDOVICI hac de re habet. g) *Mumia*, inquit, *eſt reſolvens traumaticum contra Langium, & alios, qui vili pendunt, imo plane exeſſe iubent. Eſt enim balſamica, non tam quod ex Aloë, croco, & myrrha conſtet, quam quod aſphalto debeatur vis illa &c. Notanter vero diximus, reſolvens traumaticum: unde & in eſſentiam noſtram traumaticam recipitur.* Notum quoque eſt exemplum Regis Galliae FRANCISCI Imi, qui mumiam quandam, quocunque iret, diuehi curabat, quaſi morborum omnium ſingulare medicamentum.

d) In paradoxis Medicinae lib. I. Cap. 40. pag. 87. Edit. Pariſienſ. 1546. in 8.
e) part. oper. p. 433. & ſeqq.
f) In hiſtor. natural. Cent. X. Num. 980.
g) In tract. von Feld-Kranckheiten p. 377.

§. XIII.

In tanta igitur iudiciorum de virtutibus Mumiarum varietate non levis profecto quaestio est, ex quanam parte stet veritas, sed ut felicius haec decidatur, iuvabit, singulorum rationes horumque pondera paulo curatius sub examen revocare. Primum argumentum, quod pro Mumiis facere videtur, ipsa natura atque indoles istorum aromatum, ex quibus componuntur, suppeditat. Haec vero, uti supra diximus, praecipue sunt: *Myrrha*, *Aloë* atque *Crocus*. Quodlibet horum ingredientium, suis peculiaribus gaudere virtutibus, nemini, nisi qui e studio Medico plane hospitem retulit animum, ignotum est. Myrrha quidem in obstructionibus uteri reserandis, in mensibus suppressis promovendis, in partu difficili, astmathe, tussi, febribus malignis, foetido oris halitu corrigendo, in auertenda putredine & flatibus discutiendis saepe non infelici successu adhibetur. Externe curat Erysipelas, sanguinem concretum, nec non ulcerum malignitati resistit, de Aloë vero atque croco idem tenendum. Quemadmodum enim huius extracto nulla fere efficacior medicina contra dysenteriam reperitur, ita illius quoque balsamum praeter alias infinitas utilitates, quas praestat, excellens est ad praecavendam Melancholiam remedium, cruditatibus acidis corrigendis & eliminandis conducit, ut amara, hinc non immerito senum ventriculis amica est, in defluxionibus capitis, in obstructionibus venarum haemorrhoidalium oscula aperit. Cum itaque quodlibet horum aromatum separatim tam in variis morbis ostendat efficaciam, quidni etiam, si invicem quam arctissime inter se coniungantur, & permisceantur, quemadmodum in ista artificiosa cadaverum conditura contingit? Quod argumentum Celebr. illo Medico D. IOACHIM STRVPIO tanti momenti esse videtur, ut non tantum XXI. gravissimorum morborum species, quas mumiae beneficio curari posse contendit, sed etiam

etiam Mumiam ipſam fere pro Medicina quadam univerſali venditet, ſiquidem diſerte ſcribit: (h) *Die Krafft und Wirckung der* Mumien *anlanget, iſt ſie gar nahe, laut aller Hochgelahrten beydes alten und neuen* ſcribenten *Erfahrung und Zeugniſs ein* Diacatholicon, *das iſt eine ſolche nützliche Artzeney die zu gar vielen, ja faſt zu allen Gebrechen dienlich und behülſlich beyde innerlich und äuſſerzu gebrauchen vom Haupt an biſs zu den Füſſen hinaus.*

§. XIV.

Neque omni prorſus ſpecie veri prima fronte carere videtur, ſi quidam aſſerunt, medicamentum hoc, quod Mumiam dicimus, efficaciam ſuam trahere ex ſucco & viribus humani corporis. Quod enim ex corpore humano eiusque partibus Medicina quaedam ſalutaris praeparari poſſit, multorum Medicorum ſententia eſt. HIERONIMVS CARDANVS. *Ex corporibus* inquit (i) *noſtris multa ſumi poſſunt ob ſympathiam fida.* Cardano hac in re ſuffragatur IOHANNES AGRICOLA qui exadipe & oſſibus humanis praeſtantiſſimum oleum, quod contra varios morbos utiliſſimum ſit, docet componere, quando inquit: (k) *Das Oel machte ich alſo: Ich nahm ein* ℔ *Menſchen Schmaltz, das that ich in einen verglaſürten Topff; in einem Goldſchmieds-Tiegel glüete ich* ℔ij *Menſchen Bein welche zu ziemlich kleinen Stücken zerhauen waren, und warff ſie alſo in das Schmaltz, und deckte es mit einem geheben Deckel alſobald zu, damit es ſich nicht entzünden könte, ſo zogen die glüende Beine das Schmaltz in ſich, alſo daſs ich in dem Topff kein Schmaltz mehr ſpühren konte,*

h) in tractat. cui titul. Conſens der alten und neuen Hiſtorien-Schreiber auch Medicorum von den warhafften Mumien.
i) Lib. XVIII. de ſubtilitate p. m. 503. edit. Baſil. 1554. in fol.
k) Commentar. in Popium p. 814. edit. Norinb. 1686. in 4to.

te, darnach that ich solche in eine Retorte, *und fing an* per gradus *zu* destilliren, *so ging ein schönes gelbes Oehl herüber; dieses* rectificirte *ich 3 mahl, so vvard es so* subtil *und durchdringend, dass vvenn man es in die Hände fallen lies, es alsobald einging, dass niemand vvuste, vvo es hin kam: Und ist dieses Oehl nicht allein in der* Contractur, *sondern auch den* podagrischen *Gliedern sehr gut, es erweichet die* tophos *gewaltig. &c.* Sed utrumque se habent ista, cum mumiarum qualitas longe aliter comparata sit, quam aliorum corporum humanorum, ex horum efficacia ad illarum praestantiam firmo argumentandi modo concludi non potest, sicuti ex iis, quae infra adhuc in medium hac de re proferemus, clarius patebit.

§. XV.

Ad haec etiam fermentatio a nonnullis in subsidium advocatur, ut ex ea quoque mumiarum vim medicam quodammodo evincant. Cum enim, ut e Chymicis notum est, per fermentationem vires rerum naturales plerumque augeantur, imo saepe etiam res per se noxiae reddantur salutares, valde quoque verosimile mumiarum patronis videtur, fermentationis beneficio corpora humana, praesertim illa, quae foetidissimo morbo extincta sunt, diuturnitate temporis adeo a suis impuritatibus repurgari, ut non tantum nihil amplius pestiferi in se contineant, sed etiam ad usum medicum, tam internum quam externum commode possint adhiberi. Quo circa dantur etiam hodie nonulli inter Medicorum filios, qui existimant, quod corpora humana fermentatione eiusmodi longaeva adeo immutentur, ut nihil de substantia humana remaneat, sed reliquiae, quae hodienum in sepulchris reperiantur, nihil aliud sint, quam loculi quidam lapidei, variis rebus odoriferis atque asphalto referti.

§. XVI.

Atque haec fere sunt, quae adduci a Medicis solent, ut probent, Mumiam esse medicamentum praestantissimum. Sed non desunt etiam ab adversa parte aliae rationes, quae impediunt, quo minus huic sententiae penitus subscribamus. Non negamus equidem multae & egregiae virtutis esse omnia illa aromata, quae ab antiquis Aegyptiis ad condituram cadaverum olimfuere adhibita: exinde tamen nondum sequitur, quod medicamenta illa, quae ex his praeparantur promiscue & sine circumspectione omnibus sint proficua. Vt enim nunc non repetamus, quae hac de re iam supra §. III. diximus quilibet novit, aromatum extracta, flores, balsama quocunque tandem nomine veniant, ut plurimum amarissimi esse saporis. Haec vero omnibus sine discrimine propinare velle, res foret dubii admodum eventus. Nam cum experientia constet, quod multi aegroti omnem plane medicinam auersentur, quale quid in sexu sequiori atque infantibus quotidie fere obseruatur, profecto usus medicamenti amari apud hos non tantum sit irritus, sed saepe etiam periculosus atque noxius. Excitat enim amaritudo nauseam, nausea uero promouet vomitum, qui si nimis vehemens fuerit, haud raro laedit subtiles venas, vel alias teneriores corporis partes, ex quarum laesione saepe periculosissima symptomata oriri solent, quae interdum difficilius curantur, quam morbus ipse, quo aegrotus decumbit. Satius igitur est in tali casu ab huiusmodi periculosis atque ingratis medicamentis abstinere & alia praescribere, quae & tutiora sunt, & saporis suavitate se se commendant, praesertim cum horum tanta sit copia, ut reliquis fere prorsus supersedere possimus.

§. XVII.

Quod ſecundo loco adducitur, Mumiam efficaciam ſuam ſucco & viribus humanis debere, argumentum valde eſt elumbe. Quomodo enim in corpore mortuo vires quaedam ſupereſſe poſſint, quae alicuius adhuc ſint utilitatis, cum tamen prius per morbum & inſecutam mortem omnia deſtructa atque corrupta fuerint, id quidem, uti iam ſupra obſeruavimus eiusmodi eſt, quod omnem tranſcendat concipiendi modum. Etſi enim veterum cura eo ſpectabat, ut cadavera integra & incorrupta aſſervarentur, tamen nihil aliud fuerunt, quam homines fere corrupti. Siquidem corruptio terminatur ad interitum totius, etiam partibus omnino integris, non ſecus ac navis corrupta dicitur, licet integra carina, prora, puppis, a ſe inuicem avulſa habeantur. Et licet demus, remanere adhuc in corpore mortuo vires quasdam, eae tamen non erunt alterius indolis, quam qua corpus ipſum praeditum eſt: quod ſi forte morbo quodam foetidiſſimo corruptum fuit, vires quoque eius eodem malo infectae erunt. Etſi his viribus aliqua efficacia adhuc tribuenda, fieri poteſt, ut idem malum, quo tale cadaver extinctum eſt, in eum transferatur, qui illo tanquam medicina quadam utitur: ita vero e ſalutari medicina, qualis mumia eſſe creditur, fit nocentiſſimum venenum. Neque etiam ab aliis medicamentis, quae ſecundum praeſcriptum quorundam Medicorum e corpore humano eiusque partibus praeparari ſolent, commode ad Mumias fieri poteſt applicatio, cum utrorumque partes humani corporis nullam aliam mutationem experiuntur, quam quod variis aromatibus permixtae, longinquitate temporis tandem duritiem quandam atque acriditatem contrahant, in illis vero non tantum exſiccantur, ſed etiam ita per varias encheireſes chymicas purgantur, excoquuntur, ac deſtruuntur, ut fere nihil de iis remaneat, quam quinta, ut vocant, eſſentia, quae ſi a capite ſuo mortuo ſeparata eſt, tum demum ſola uſui reſervatur.

§.XVIII.

§. XVIII.

Tertium argumentum pro adſtruenda Mumiarum praeſtantia atque efficacia fermentatio ſuppeditabat. Sed neque hoc ita comparatum eſt, ut ſine omni cenſura a nobis poſſit dimitti. Quod enim primo a quibusdam traditur, ac ſi corpora humana longa fermentatione adeo immutentur, ut nihil amplius ſibi ſimile retineant, ſed in alias plane ac diverſas ſubſtantias degenerent, veritati non eſt conſentaneum. Apparet hoc exinde, quia adhuc hodie exempla integrarum mumiarum dantur, in quibus cutis quam clariſſime conſpicitur, & ab aliis corporis partibus accurate diſcernitur. Iam vero, ſi in eiusmodi corpore mumiſato totalis mutatio contingit, non immerito quaeritur, qui factum, ut externum eius tegumentum, nempe cutis, ſolummodo ſuperſit illaeſum? cum longe veroſimilius videatur, hoc multo citius corruptum iri, quam carnem & muſculos ſub eo latentes. Accedit etiam ad haec teſtimonium DIONIS CASII (l) & aliorum qui de Caeſare Auguſto referunt, quod cum in Aegypto corpus Alexandri M. e penetrali conditorii protrahi iuſſiſſet, hoc ita illaeſum deprehendiſſet, ut licet annos circiter CCXL. perennaſſet, membra tamen omnia & cutis ipſa, una cum pilis praecipue ſuperciliorum palpebrarumque extarent, & ſervaretur tota quaſi corporis figura immutata. Neque porro facile concipere poſſumus, quomodo fermentatio tantam in corpora mumiſata vim exercere poſſit, ut haec priorem naturam atque indolem ſuam penitus exuat, & aliam prorſus aſſumat. Nam cum ad fermentationem fere unice vegetabilia ſpectent, neque etiam quaevis ex horum numero ad hanc operationem ſint idonea, ſed illa tantum, quae ſufficienti humiditate ſunt praedita, dubitari adhuc poteſt, an inter ſubiecta illa, quae fermen-

 tationi

(l) in Hiſtor. Roman. lib. LI. p. m. 279. Edit. Baſil. 1558. in fol.

tationi obediunt, corpus quoque humanum praesertim in aromatibus conditum vel exsiccatum fuerit, commode referri queat? qua de re alia occasione fusius.

§. XIX.

Quae hactenus in medium prolata sunt, sufficere poterant ad demonstrandum, quod mumiis inter medicamenta salutaria ille locus non competat, qui vulgo iis assignatur. Sed superest adhuc aliud dubium non exigui profecto momenti. Sunt nimirum hodie inter Doctores nostros, qui existimant, mumias istas, quae hodie in Pharmacopoliis nostris pro Mumiis Aegyptiacis venditantur, non esse genuinas, sed spurias ac suppositítias. ZWELFFERVS certe Vir multa experientia illustris, in ea versatur opinione, quod mumiae genuinae ad nos non transferantur. Disserte enim de re ita scribit. (m) *Quae ad nos hodierna die transportantur cadauera nigricantia linteis involuta, saepe numero foetidissima morte defuncta, nihil minus sunt, quam vera Mumia Aegyptiorum, quae ipsa etiam tantum abest, ut utiliter intra corpus humanum assumi, ut magis plurimum obèsse possint.* Cum Zwelffero hac in re etiam facit NICOLAVS LEMMERY (n), cuius verba ita se habent: *Il ne faut pas croire que la Mumie commune qu'on nous apporte, soit de la veritable Mumie d' Egypte, qui ait été tirée des sepulcres des anciens Egyptiens; celle la est trop rare, & si l'on en a quelque partie, on la garde dans des cabinets comme une grande curiosité. Celle que nous trouvons chez les Droguistes vient des cadaures de diverses personnes que les Iuifs ou meme les Chretiens embaument aprés les avoir vuidés de leurs entrailles & de leur cervelle, auec de la Myrrhe, de l' Aloes, de l' Encens, du Bitu-*

(m) In animadvers. ad pharmacop. August. Class. XIX. p. m. 393.

(n) In Dictionaire ou Traité universel des drogues simples pag. 363

Bitume de Iudée & plusieurs autres drogues; ils mettent secher au four ces corps embaumez pour les priver de toute leur humidité phlegmatique, & pour y faire pénétrer les gommes afin qu' ils puissent se conserver. Ita etiam consentit Celeb. VALENTINVS (o) quando de Mumiis falsis agit. *Quoniam autem verae Aegyptiorum mumiae in istorum Regionibus nimis magni aestimatae, ab incolis publice non divenduntur, sed furtive temporeque nocturno ab remigibus in naves transportandae sunt, ut Vilbeurius* (p) *ex aliis Materialistis ostendit, hinc artis legibus istas ex carne humana imitari sibi sumserunt, nec tamen eo modo, qui perdito cuidam Iudaeo Alexandriae Aegypti, mumiarum mercaturam facienti, positus in more fuit, qui mortua corpora humana minime curans contagiosane lue, an alio morbo extincta fuerint, praeparata & illinita pro veris mumiis vendidit, eoque ipso insuper christianis eiusmodi merces quaerentibus, illusit, ut certus quidam Gallus, qui omnia ipse apud Iudaeum viderat,* narravit, hicque in Histor. des Drogues (q) recensuit, sed ea methodo, quam Schröderus eiusque interpres D.Etmüllerus (r) nec non le Febure (s) communicarunt.

§. XX.

Audiamus etiam de hac re Schröderum. (t) *Ex his mumiarum si saltem ex sanis corporibus haberi possent, suas laudes non derogem, praecipue primo* (nam locutus adhuc de aliis mumiis) *quod tamen vix ad nos perferri credo.*

 Ali-

(o) In historia simplicium p. 288.
(p) In descript. Exot. Mat. p. 181.
(q) lib. I. pag. 6.
(r) In Comm. pag. 790.
(s) In prima parte Chym. pag. 231.
(t) In Pharmacopoeia Medico chymica lib. V. Class. I. pag. 277.

Aliter quidem sentire videtur. Celebr. Wolffgangius Wedel quando scribit: (u) *Frustra videntur esse, qui distinguunt inter Mumiam veram & vulgarem..* (x) Sed aut nos omnia fallunt, aut aliquid humani hic Viro celeberrimo contigisse fatendum est. Quando enim paucis interiectis mentionem facit Mumiarum Africanarum & addit: *Huiusmodi Mumiarum praebent corpora in Africa sub arenarum turbine suffocata liquata omnino ab ingentissimo solis artu & siccitate arenae unde ramanent corpora prorsus arida*, quid hoc aliud est, quam aperta contradictio, qua ipse concedit, quae antea negaverat. Sed hoc obiter saltem & *ὡς ἐν παρόδῳ.* Nam animus nobis non est, Celeberrimi huius Viri famam, eiusque merita, quae utique insignia sunt in studio Medico, ullo modo atterere: quin potius ex modo dictis concludimus, quod si ita est, ut revera est, quod de veritate Mumiarum Aegyptiacarum certi esse nequeamus, melius utique esse ut in Praxi Medica prudens Medicus ab hoc medicamento prorsus abstineat, quam ut se periculo

(u) In Pharmacia acroamatica lib. II. Sect. I. c. 3. p. m. 239.

(x) Certe non sine ratione distinguendum est inter mumiam veram & falsam, & in hac re nobiscum consentit Autor antea citatus Valentinus in historia simplicium. Cap. I. de Mumiis pag. 287, quando dicit: *Praeter has veras nigrasque mumias, quidam scriptorum etiam albarum mumiarum faciunt mentionem, quae ex iis humanis corporibus consistant, quae mare eiecerit, arenaque marina Libyae contegerit, sub qua a sole ita arefacta sint, ut nihil praeter cutem, & ossa super quae cutis instar membranae extensa sit, relinquatur. Quamobrem etiam tota mumia supra 30. libras non pendet, qualis Parisiis olim in D. Budeti Musaeo videbatur. Et quoniam sic nihil balsamici in istis invenire licet, nec in usum medicum trahuntur, nec iure mumiarum venire nomine possunt, quod Arabum vel Persarum lingua proprie balsamum corpus ex antiquis sepulchris significat, ut* FRIDER. HOFFMANNVS *in Clav. Schröd. pag. 673.* docet.

lo exponat, illud quod ſpurium & aegrotis etiam noxium eſt pro genuino & ſalutari eligendi. (y)

(y) Schröderus denotat 4) ſpecies mumiarum. 1) Mumiam Arabum, quae eſt liquamen ſ. liquor concretus exſudans in ſepulchro cadaveribus Aloë, myrrha, Balſamoque conditis. 2) Aegyptiorum quae eſt liquamen ex cadaveribus piſſaphalto conditis. Nimirum hoc condiebantur cadavera vilioris ſortis, adeoque & ipſamet cadavera non nunquam eo modo condita proſtant. 3) piſſophaltum factitium i. e. mixtum pici bitumen quod pro Mumia venditant. 4) Cadaver ſub arena ſolis aeſtu torrefactum. Nos vero 5) ſpeciem addimus nempe Muminahi. ſ. Mumiam nativam Perſicam: Haec vero ſpecies ſoli ſacratur poſſeſſioni Regiae Perſicorum, ex dura rupe parciſſimum emanans, ideoque appellatur Mumia nativa, ad nos nunquam transfertur; & illa ſpecies iterum diſtinguitur in mumiam ſecundariam, haec pari naturae ſtudio non eſt elaborata, ſic multis paſſibus ignobilior & virtute inferior eſt, adeoque haec ſi inveniatur cuivis promi permiſſa eſt; Ad Mumiam primariam huius ſpeciei ut redeamus, verba Celebr. VALENTINI in medium proferam. Haec ſcribit: *omni illa pollet virtute, qua ueterum ſeu Arabica ſeu Aegyptiaca legitur olim excelluiſſe, oſſibus vero glutinandis tanta claret efficacia, ut fracturas crurum, in animantibus paucis diebus, in pueris quidem triduo, in pullis gallinaceis intra diem vertentem, modo rite reducta ſint, firmare & ad uſum ſtabilire credatur. Quae medicamenti efficacia in vulgus Perſarum innotuit adeo, tantaque fide creditur, ut vel quicquam de ea dubitare ipſis religio ſit. Vſus eius internus vel externus eſt. Inter balſamum praeſtat vulnerarium eximiae virtutis, in viſcerum apoſtematibus & ulceribus ſanandis, reſolvendo ſanguine coagulato rupturis & ceteris malis, quibus a caſu ab alto praecipitantium viſcera violantur, ſi eius particula, cum modico butyri liquata, propinetur.* Huc usque autor citatus, ex quo quisque videri poteſt, quanta polleat virtute haec Mumia, veteres Aegyptii etiam illam ad unguendam uſitavere, imprimis apud ſepulturas Regum &c.

§. XXI.

Quae cum ita ſint, nihil fortaſſe inepti vel abſurdi dixerimus, ſi aſſeramus, Mumias non tam inter illa medicamenta, quae aegrotos ſanant quam inter ea, quae pharmacopolarum noſtrorum crumenas implent, referendas eſſe. Quum enim plerique in ea verſentur perſuaſione, quod mumiae illae, quae hodie in pharmacopoliis noſtris venum proſtant, ex Aegypto ad nos translatae ſint, non exiguus profecto quaeſtus exinde acquiritur. Probe etiam, haec ſciunt Pharmacopolae nonnulli, qui hac re callide abutentes, non ſolum lucri cauſa veras mumias adulterant ſed etiam ſi tales in promptu non ſunt, ſpurias & fictitias in illarum locum ſubſtituunt, (non loquimur vero hic de omnibus, ſed tantummodo de eis, qui in minoribus locis habitant.)

§. XXII.

Receptui nunc canendum eſt; Ante vero quam id fiat, placet adhuc brevem Catalogum praecipuorum Medicamentorum illorum, quae ex Mumia, una cum aliis ingredientibus praeparari ſolent, cum lectore benevolo communicare. Sunt vero ſequentia.

1. *Pulveres ad caſum*
   Petri Antonii Ruſtici
   Etmülleri
   Scretae
   Lotichii
   Zickardi
   Weickardi & plures

2. *Em-*

2. *Emplastr. antiparal.*
Zwelfferi
apostolicum Zwelfferi
Catagmaticum seu ad fracturas ossium Kenodae
Vulneraria

Emplastr. oppodeldoch D. Mündereri
stiptic. Crollii

3. *Vnguenta & Balsama Vulneraria*
Bals. vulnerar. Crollii
Vnguent. arthriticum Schroederi
arthriticum Hoffmanni
paralyticum Weickardi

4. *Electuaria*
Mynsichti Confectio opiata
Athanasia magna Nicolai p. A. V.
Philonium Magistrale Londinense

5. *Essentiae & Elixiria.*
Elixir Diasulphuris Scretae
Clauderi essent: purificans
Wedelii essent. Traumatica.
Essent. Vulneraria ex Disp. Brand.

Plura recensentur in Cel. D. IÜNCKENII corpore Pharmaceutico universali, Faancofurti MDCCXI. secunda vice in forma maiori edito, quo Lectorem huius rei cupidum remittimus.

§. XXII.

§. XXIII.

Atque haec in praesenti sufficiant, quibus pro ingenii nostri tenuitate demonstrare voluimus, Mumias in Praxi Medica non facile esse adhibendas; plura addere nunc quidem non vacat, & quae diximus, ab iis, qui bonarum literarum cultoribus fauent, eorumque in studiis conatus quamlibet tenues benignius interpretantur, meliorem in partem acceptum iri, spe votisque omnibus praesumimus, praesertim cum constitutum nobis modo fuerit, hoc de argumento brevem dissertationem, non vero prolixum tractatum componere. Quae hac vice minus plene videntur elaborata, ea alia & opportuniore occasione, Deo volente, forte copiosius a nobis exponentur.

S. D. L. E. G.

